



Em 432



189  
152

IACTVRAM GRAVISSIMAM  
AMICI INTEGERRIMI  
SOCHIQUE DESIDERATISSIMI  
NOBILISSIMI ET DOCTISSIMI  
IOHANNIS CHRISTOPHORI  
NAGELII

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE STUDIO  
NAVITER OPERATI  
HIS ELEGIS  
SOCIETATIS LATINAE ALTORFINAE

NOMINE CONQUERITVR  
QVAESTOR EIVSDEM  
ET  
FRATER DEFVNCTI MOESTISSIMVS  
MAXIMILIANVS NAGELIVS  
THEOLOGIAE STUDIOSVS.

ALTORFII  
AERE HESSELIANO.



Annon ora mihi pallefcant, corda tremifcant,  
 Deque meis manent flumina moeſta genis?  
 En, modo quem ornabat uiridis uernanſque iuuenta,  
 Atque decôr uultus, purpureuſque color:  
 Eripit hunc nobis nunquam exorable fatum,  
 Et gelidum corpus triſtia buſta tenent. - -  
 Haec, dum florebat, quiſnam praediceret ipſi?  
 Aut haec qui fieri poſſe putaret homo?  
 In caput antè ſuum labentur flumina retro,  
 Verque ſtatim, dixi, facua ſequetur hiems,  
 Quam poſſis, noſtra o ſpes deliciaeque, perire,  
 NAGELI, et ſocios deſeruiſſe TVOS. - -  
 At non ipſe ſibi longam praedicere uitam  
 Audebat, mortem non procul eſſe ratus.  
 Haec auſcultafſem dantem affligentia dicta:  
 (Auditi haec, frater, maefſtaque, uerba, parens)  
 Illico ſe in quaſſos terror diffunderet artus,  
 Viuus moxque mihi linqeret ora color.  
 Vidimus hinc fratrem meditantem triſtia ſaepe,  
 Et ſecreta parens anxia ſaepe fuit.  
 Is tamen exiguae ſpernens diſpendia uitae  
 Inter nos gaudens, ſed breue tempus, erat.  
 Anne igitur, uitae qui in ſeſe hoſtemque necemque  
 Perpetuo ſentit, lactus is eſſe queat?  
 Diuina o uirtus, hoc tu facis, ut properata  
 Qui ſibi fata uidet, non timuiſſe queat.  
 Cultor enim uirtutis erat, quem ſlemus ademptum,  
 Impiger illius cultor et acer erat:  
 Sed non fucatae, qualem fingunt ſibi multi,  
 Et ſub qua latitat ſaepe ſiniſtra lues.  
 Vtilis eſſe aliis ſtudit, cunctoſque iuuare,  
 Fataque, cum nequirit, fleuit acerba ſibi.  
 Magni, quos caute ſibi legit, fecit amicos,  
 Neſcius ipſe fidem fallere rite datam.  
 Grato animo ſpecimen percepit mentis honeſtae,  
 Et gratum, grates poſſe referre, fuit.  
 Aſt humilis quemquam ſolitus benefacta rogare  
 Non erat, haud credens hoc deuiſſe bonum.  
 Verborum fuerat pareus (natura iubebat)  
 Quod dixit, pulchrum, nec ſine pondere erat.  
 Ah quam nobilicum uultu fuit ille ſereno,  
 Cum nos iunxit amor, miſcuimusque iocos! - -  
 Ipſe ſuas dotes, et ſi de qua meruiſſet,  
 Eſt parce menſus, non placuit ſibi.  
 O quam magniloquos auerſabatur, et omnem,  
 Quae bello ingenio turba ſuperba caret!  
 Maluit errores, quam falſa referre, fateri,  
 Et quid neſciret, dicere promptus erat.  
 Attamen inſigni pollebat cognitione,  
 Cognitione ante diem nobilis illa fuit.  
 Non is concefſos tranſegit ſegniter annos,  
 Libera nam ſtudiis non fuit ulla dies.  
 Saepius aurora hunc tractantem talia cernit,  
 Talia tractantem uesper et ipſe uidet;  
 Aggrediturque animus quaſuis uerſatilis artes,  
 Incertus, curam quam uelit eſſe ſuam. - -  
 Indolis egregiae haec ratio eſt, ut ad iſta parata  
 Illaue ſit, diſci cuncta nequire dolens.  
 Viueret iſta aetas, tulerunt quam priſtina ſecla,  
 Illuſque annis addita noſtra foret  
 Cognitione: ornaret certe doctrina ſtupenda  
 Nunc feſſoſue ſeneſ, tunc alacrefue uiros.  
 O queis magni animi in Muſarum ſacra feruntur,  
 Ne graue ſit, uitae quod breue tempus erit:  
 Semper fama manet; tantoque diutius illos,  
 Qui prius extiterant, uiuere poſſe reor. - -  
 TV quoque, NAGELI, nimis arctum tempus habebas:  
 (Quamuis, ah longum eſt, iam moriturus ais)  
 Arctum nempe fuit TIBI, qui, quodcunq; placeret,  
 Id libaturus, ſi licuiſſet, eras. - -  
 Quiſquis ſcire cupis, quaſnam tractauerit artes,  
 Quod ſtudium, haec animo tu modo pauca tene.  
 Cum primum uiridem coepiſſet ducere uitam,  
 Romanos didicit Cecropioſque ſonos,



Coetibus hinc nostris mox additus ipse Latinis  
 Cunctis se gratum praebeuit atque bonum.  
 Semper, quae dixit, fuerant pauca atque modesta,  
 Et salibus memini non caruisse suis.  
 Legit, quos pulchros libros magnoque poetas  
 Gens dudum praeclara aemula nostra dedit.  
 Quotquot habent linguas populi, discerebat, Eoi,  
 In primis tuam, Arabs, atque tuam, Solyma.  
 Lingua Itala iuxta ac multorum matre leporum  
 Delectabatur, Galle facete, tua.  
 Multum etiam studuit doctrinam discere sacram;  
 Magnus amor Sophiae, qua patet illa, fuit.  
 Nec tibi displicuit patrio sermone canendo  
 Cynthie; primitiis gratus alumnus erat.  
 Et fidibus canere ipse bonus fuit, atque figuras  
 Pingere, delictum non leue utrumque putans.  
 Quid nunc insignes hos exegisse labores,  
 Quid multas noctes peruigilasse iuuat?  
 Cur TIBI nam durus tot gaudia blanda negasti?  
 Cur non egisti tempora laeta TVA?  
 At TIBI summa fuit, nauum esse probumque, uoluptas;  
 Absque bono studio non fuit ulla dies.  
 Heu, qui moeror agit me, dum TE perdo, beate!  
 Quanta mihi utilitas TE pereunte perit!  
 TE quoties uidi (testor fratrem atque parentes,  
 Qui TE fouerunt adfiteruntque TIBI)  
 Aegrotum cum TE fatalis lectus haberet,  
 Et multo morbo languida membra forent;  
 Innocuum pectus quateret cum tussis anhela,  
 Nec magno uomitus absque dolore dares;  
 Gutta tepens toties fluxit de lumine utroque,  
 (Non poteram lacrymas tot retinere pijs)  
 Atque haec angusto suspiria pectore duxi:  
 Hunc precor, o cura, redde mihique, Deus,  
 Non fuit illa Dei supremi sancta uoluntas,  
 Sed mihi mors rapuit uitam animamque meam.  
 Luge tu uirtus, et uos lugete, sodales,  
 Quisquis et est mentis cultor amansque bonae.  
 Amplius haud possum lacrymas cohibere ruentes,  
 Omnis iamque mihi litera scripta madet.  
 Qui, dum defuncti alieno nomine laudes  
 Dico, leniri sic mala nostra puto:  
 Vix ah sopitum uideo uigilare dolorem,  
 Et cogor tandem dicere, sim quis ego.  
 Frater eram -- frater -- FRATRIS nimium mihi carus  
 Quam misera haec fors est, fratre carere suo!  
 Hoc mihi solamen, socii, concedite moesto,  
 Vt FRATRIS cineri munera iusta feram.  
 Si licet, o FRATER, caelesti sede locatum  
 Affari, et gemitus ore referre pios;  
 Accipe, quoue animo sum affectus, quoue dolore,  
 Et, dum me inconsans mundus habebit, oro.  
 Annosae quereus sint testes, altaque pinus,  
 Se fratrem moestum saepe uidere TVVM;  
 Audire et querulam uocem et suspiria longa,  
 Turtur ut amissa compare triste gemit.  
 Nullus (uera loquor) reparat, neque primus amicus,  
 Heu, quae iam patior damna feroque, mihi.  
 Nulla etiam rapiet TE nostrae obliuio menti,  
 Nec rapiant, si me tempora fausta manent.  
 Nam quis erit facilis mihi nunc censor studiosum,  
 Excepto, qui me est moestior ipse Parens?  
 Quis, qui me moneat, si quid faciam minus apte?  
 Quis, qui me exemplo prouocet usque suo?  
 TE semper meditor, semper mihi, FRATER, in ore es,  
 Haeret in his oculis semper imago TVA.  
 Et matutinis quoties Musis operabor,  
 TE cernam, et quoties uespere solus ero.  
 Ac quoties solus docta ad collegia uadam,  
 Respiciam, comitem TE mihi deesse gemens.  
 At TV, cum triste et desertum pene cubile  
 Ipse petam, et noctes irrequietus agam;  
 saepe uidentia mihi TVA praeco, si licet, ora  
 (Ah, cur non uiuis oscula mille dedi?)  
 Tunc ego, ni tenues umbra euanescat in auras,  
 Iungam dilectis oscula pressa labris.  
 O modo si posses mihi, FRATER, semper adesse!  
 Sed vereor, ne non semper adesse queas.



Cur demens opto hoc? animae sint otia sancta;  
 Non his in turbis amplius esse cupis.  
 Quando, quod opto, nequis, fac, quod potes, *optime FRATER*;  
 Immemor haud nostri semper amoris agas.  
 Forte meus nec amor uanus, nec uota precesque,  
 Nec studium fuerat, nec mea nulla fides. - -  
 At, quos aequali ueneror pietate, PARENTES,  
 Quod non uult FRATER, ne facitote, meus.  
 Non uult *Vos* misero nimis indulgere dolori,  
 Et fatis est, memores saepius esse SVI.  
 Annon huic nostri curam *Vos* esse putatis?  
 Ingemere et nostris hunc quoque saepe malis?  
 Annon credibile est, hunc Numen saepe precari,  
 Tristitiam ut tollat, *Vos* cumuletque bonis?  
 O nolite dies uelle interrumpere laetos,  
 Quos iam securus, nec moriturus, agit! - -  
 Heu, cum illum parui *fraterque* sororque reposcunt,  
 Ipsi uellem mortuus esse loco;  
 (Mox enim uterque mihi confuso adgemit ore,  
 Cum iam defunctum posse redire nego)  
 Sed quoties pietas uidet, hunc finem esse laborum,  
 Non possum illius mortuus esse loco.  
 Vos modo ne nimium FRATREM plorate, *pufilli*;  
 Is nunc laetatur, nec doluisse potest.  
 Si uiuam, atque Deus uobis adiecerit annos,  
 Narrabo, fuerit quam bonus atque probus. - -  
 Ipse ego non multum, FRATER *carissime*, ploro;  
 Officium ne TE laedat amorque meus.  
 Pectus at angustum nunquam moerore uacabit,  
 Et multum sine TE temporis aeger agam.  
 Nam quoties repeto, TIBI quae fuerint patienda,  
 Ipse dolor nimius me lacrymare uetat.  
 Attamen haec uera est mihi, uoluerne mente, uoluptas,  
 Quois animis tuleris tantaque totque mala.  
 Sed fere me prohibet grauis horror dicere plura - -  
 Hoc tormentorum tristis imago ualet. - -  
 Cum solus tacitas filius saltusque pererro,  
 Aut uicina istis mollia prata peto:  
 Ingemo, et, hic quoties una nos iuimus, inquam,  
 Ac ille afflictus saepe, ego laetus eram.  
 Heu cur non moesto fueram TE moestior ipse?  
 Cumque esses laetus, laetus et ipse fui?  
 Cur ah non potui partem perferre dolorum?  
 Cur, quidquid feci, non fatis esse puto?  
 Quot non insomnes memini TE ducere noctes!  
 Et mihi (qui merui?) somnus amicus erat.  
 Multas iam TEcum (nec me labor iste graualet)  
 Si liceat, noctes peruigilare uelim.  
 Exemplo mihi semper erit patientia summa,  
 Qua tot morborum uictor honorus agis.  
 Quam TVA tranquillus iurgescere membra uidebas,  
 Et deformari mox iuuenile decus!  
 Velle, et non posse, et quod nolis, uelle iuberi,  
 Quidnam adolefcenti durius esse queat?  
 Vadere nec poteras, cum uelles, nec pede firmo  
 Stare, nec in lecto ponere membra bene.  
 Scilicet haec animo patienti uincere uirtus  
 Sola docet, robur sufficit illa piis.  
 O quoties et quae didici, cum TE cruciatus,  
 Diri inuasferunt, mensque quieta fuit!  
 Et uultus docuit me, quamuis ipse taceres:  
 Plura patrat uirtus, quam solet ipsa loqui;  
 Ac eadem est semper: pulchra est in corpore pulchro,  
 Nec minus in putrido corpore pulchra manet. - -  
 Et *Vos*, quid ualeat uirtus, uidistis *amici*.  
 Cum minant morbi fata propinqua sibi.  
 Si quoque defunctum dignum censetis amari,  
 Qui uiuus *Vestro* dignus amore fuit:  
 Eius amicitiam et uirtutem infigite menti,  
 Atque tot egregie iam superata mala.  
 Sed cur *Vos* moneo, cum non moniti id faciatis?  
 Nam fratris *Vobis* exiitit ille loco.  
 O semper salui et felices esse, *sodales*,  
 Quisquis et illius uerus amicus erat. - -  
 Iamque uale, semper mihi *coniunctissime* FRATER;  
 Si TVVS o tumulus contegat ossa mea!

78M 378

ULB Halle

003 076 938

3









IACTVRAM GRAVISSIMAM

AMICI INTEGERRIMI

DESIDERATISSIMI

SIMI ET DOCTISSIMI

CHRISTOPHORI

MAGELII

ET PHILOSOPHIAE STUDIO

ITER OPERATI

IS ELEGIS

LATINAE ALTORFINAE

OMINE CONQVERITVR

ESTOR EIVSDEM

ET  
EFVNCTI MOESTISSIMVS

MILIANVS NAGELIVS

THEOLOGIAE STUDIOVS.

